

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Conuersio 1  
cum fonte primo

Cum Pharao dimisisset populum

non eos duxit Dominus per uiam terre Philistim  
que uicina est, reputans ne forte peniteret eum,  
si uidisset aduersum se bella consurgere  
et reuerterentur in Egyptum.

Ex Egypto itaque exeuntibus  
e uicino bello subtrahuntur  
quia derelictibus saeculum  
quedam prius tranquillitas ostenditur,  
ne in ipsa sua teneritudine atque inchoacione turbati  
atque territi redeant ad id quod euaserunt.

Prius ergo suauitatem sentiunt securi,  
prius pacis quiete nutriuntur;  
post cognitam uero dulcedinem  
tanto iam tollerabilius temptationum certamina sustinent,  
quanto altius in Deo cognouere quod ament.

Gregorius ibidem (XXIIII. moralium).

Vnde et scriptum est:

Cum emisisset Pharao populum,  
non eos duxit Dominus per uiam terrae Philisthiim  
quae uicina est, reputans ne forte paeniteret eum,  
si uidisset aduersum se bella consurgere,  
et reuerteretur in Aegyptum.

Ex Aegypto itaque exeuntibus  
e uicino bello subtrahuntur,  
quia derelictibus saeculum  
quaedam prius tranquillitas ostenditur,  
ne in ipsa sua teneritudine atque incohatione turbati,  
ad hoc territi redeant quod euaserunt.  
Prius ergo suauitatem securitatis sentiunt,  
prius pacis quiete nutriuntur;  
post cognitam uero dulcedinem,  
tanto iam tollerabilius temptationum certamina sustinent,  
quanto in Deo altius cognouere quod ament.

Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, 24.11

(CCSL 143B, M. Adriaen ed., p.1208, ll.112-123).